

dum effectum, vel influit in effectum, quia si concurrit causa naturalis, per se concurrit, & si concurrit, in suo genere concurrit; ergo istae particulæ superfluae sunt atque inutiles, & illas auferendo a definitione nullam illam redundat, & relinquendo illas, confundunt eamdem; Quod si dicant illas particulæ positas esse ad excludendas conditiones, quæ non influunt, dico, quod etiam per se in suo genere influunt, quia id, quod influit, per accidens non influit, saltem naturaliter, quia naturaliter influens intendit effectum producere eiusdem naturæ cum seipso, non autem quod operatur per accidens, quia effectum per accidens productum non intendebat ullo modo, alio non foret neque causa, neque effectus per accidens, quemadmodum est etiam superflua illa alia particula, ad substantandum effectum; sic enim solum definiret, vel solum suam causam materialem, vel totum respectu accidentium. Deuenio modò ad definitionem allatam a subtilissimo Suario, ut potè quod causa sit principium influens in aliud; quia si dixisset in aliud adequatè, aliquantulum bene dixisset, sed non posita tali particula malum sensum facit, & æquiuocum, nam posset intelligi iuxta Græcos, quod Pater æternus fuisset causa Filii, nam Filius, est aliud a Patre, si non secundum naturam, quæ est eadem inviroque, saltem secundum suppositum; suppositum namque Patris non est suppositum Filii, sed inter se opponuntur relativè, ut producens & productum; ne incidamus in Græcorum errorē, dicendum talem definitionem Suarij reiiciendam esse, quia ly aliud, dicit diuersitatem effectus a causa adequatè, nempe & secundum naturam, & secundum suppositum, aliter effectus es- set aliis a natura, non aliud; Vnde D. Athanasius, ut excluderet Patrem æternum a ratione causæ respectu Filii, & Patrem ac Filium respectu Spiritus Sancti, & hos duos a ratione effectus, dicit, alias Pater, alias Filius, alias Spiritus Sanctus, ut de fide est indubitanter credendum. & id quod ex Suarij definitione, dico de illa tradita a P. Arriaga.

6. Vallesius autem alio modo definiuit causam, dicendo, quod causa est illa, propter quod est aliquid; peccat tamen in hoc, quia solum causa finalis definita esset, & sic non omni definito conueniret contra leges bonæ definitionis; immo ipse effectus esset causa, quando effectus sit id, propter quod causa est.

7. Definio ego causam creatam sic. est principium influens in aliud adæquatè per inflatum defectibilem formaliter. hæc est iuxta